

Beiband 3

S. 435

(1196)

Bischof Hermann II. von Münster bekundet die Stiftung eines Zehnten zum Unterhalt von 2 Kerzen vor dem Kreuze im Dom für die Zeit von Ostern bis Christi Himmelfahrt.

[1]

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Hermannus Dei gratia Monasterien. episcopus secundus ecclesie Monasterien. in perpetuum. Ne laudabilia nostri temporis negotia futurorum valeat retractare calumnia, salubriter provisum est, ut ea que nobis memoria digna geruntur, fideli litterarum testimonio adiuventur. Unde notum facimus universis tam futuri quam presentis evi fidelibus, quod Godefridus de Schonebecke, cum decimam curtis in Kalvehove fratribus ecclesie nostre maioris pro sex marcis per aliquot annos obligasset in pignore, ipsam tandem in nostra presentia Hermanno maiori preposito et consanguineo nostro, a quo eam iure feodali tenebat, omnimodo resignavit. Igitur iam dictus prepositus utilitati fratrum in hac parte providere cupiens decimam ipsam nobis approbantibus multisque tam de clero quam de populo presentibus curti prenominate ita inseparabiliter adiunxit, ut de cetero, quicumque fratrum curtem ipsam de manu prepositi recipere, decimam simul cum curte sine omni contradictione teneret. Sane de huius decime obventionibus et aliis quibusdam redditibus ponendi sunt annuatim duo cerei ante crucifixum ab hora et die resurrectionis usque ad diem ascensionis Domini et per ipsum diem totum indeficierenter arsuri. Ut autem hoc factum non minus utile quam honestum perpetuo inconvulsum permaneat, presentem paginam huius rei testimonialem conscribi fecimus et sigillo nostro confirmari. Actum anno incarnationis Domini MCLXXVI, in dictione XIII. Testes huius rei sunt Thietmarus maior decanus, Philippus vicedominus, Henricus maior scholasticus, Conradus, Henricus et universus conventus maioris ecclesie; laici vero Bernerus de Elen, Theodoricus Terninc, Hermannus de Monasterio, Fridericus de Schonebecke, Bernhardus de Werzeno, Henricus et Johannes de Dulfene et alii quam plures.

Kopie 16. Jh., VIII A 30 f. 9'. Das in der Kopie angegebene Jahr 1176 wird im Hinblick auf die Indiktion und die Zeugen irrtümlich sein.